

1. Ru
2. Ru
3. Ru
4. Ru
5. Ru
6. Ru
7. Ba
8. Ru
9. Ru
10. Ru
11. Ru
12. S
13. S
14. S
15. S
16. S
17. S



Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
DE
P A R T U M
PRÆTERNATURALI AC DIFFICILI
OB
PROCIDENTIAM FUNICULI
UMBILICALIS
JUXTA CAPUT
QUAM
ADSPIRANTE DIVINI NUMINIS GRATIA
EX INDULTU
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ATQUE PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME IMPETRANDI
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIET
MARCUS PHILIPPUS RUHLAND
ULMA - SUEVUS
AD DIEM XXIX. APRILIS A. MDCCCLXXV.
H. L. Q. G.

Argentorati, Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typogr.



U P A S
H E R T H I E D E R I C H
L O G I D R I C H M A N N I C H E
T U S A G A T K O S
H A U S
A T A R C H E F T U S A G A T K O S
E O I G H M A T A R C H E F T U S A G A T K O S

INCLITÆ AC LIBERÆ
S. ROMANI IMPERII
REPUBLICÆ ULMENSIS
PRO CERIBUS
*PERILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS, MAGNIFICIS,
PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS*
DOM. DOM. DOM.
DUUM - VIRIS
CONSULIBUS
SANCTIORIS CONCILII
ADSESSORIBUS
CÆTERISQUE ORDINIS SENATORII
MEMBRIS
SALUTIS PUBLICÆ
STATORIBUS
IMAGINUM VETUSTATE
MERITORUM IN PATRIAM SPLENDORE
MUNERUM, QUÆ EXORNANT, AMPLITUDE
SUMME MAXIMEQUE
CONSPICUIS

PATRIÆ PATRIBUS

VIGILANTISSIMIS

D O M I N I S

PERQUAM GRATIOSIS

P A T R O N I S

ET STUDIORUM

P R O M O T O R I B U S

VITAM ET REGIMINIS FELICITATEM

A DIVINO NUMINE PRECANS

HANC INAUGURALEM DISSERTATIONEM

QUAM

PATRIÆ AMOR ET VERITATIS STUDIUM

SUASIT

VETERUM CLIENTUM MORE

OBSEQUII OFFICIIQUE CAUSA

PIE AC DEMISSE

OFFERT

TANTORUM NOMINUM

CULTOR DEVOTISSIMUS

MARCUS PHILIPPUS RUHLAND



PROEMIUM.

Miseriarum malorumque turba, quacum nobis, quamdiu vivimus, continuo luctandum est, pro varia ætate & conditione humana alia aliaque est, nec ipsis tenellis fœtibus utero adhuc materno inclusis parcit. Quem fugit, quot quantisque periculis vita fœtus a primis conceptionis momentis ad illum usque terminum, quo partu excluditur, obnoxia fit, & quæ obstacula in ipso exclusionis actu fœle opponant, quo minus lâte ipsi lucem salutare contingat? Inter ejusmodi obstacula non minimum locum occupat funiculi prolapsus. De quo vitio ejusque malis effectibus antequam loquamur, rei ratio postulabit, ut quædam funiculum ipsum spectantia ex Anatome prælibemus.

§. I.

Funis umbilicalis est canalis cylindricus admodum

A 3

longus a) atque insigniter crassus b) & placentæ & umbilico foetus insertus & funis in modum contortus ex vena & duabus, rarissime tribus arteriis umbilicalibus, quæ membrana c) & substantia quadam gelatinosa d) obteguntur. Vena umbilicalis arteriis cognominibus duplo amplior ex placentæ minimis surculis, qui sanguinem per arterias matris huc deportatum fugunt, & sensim sensimque in majores trunculos confluunt, orta ad annulum usque umbilicalem pergit, quem ingressa sinum hepatis anteriorem adit, ad fissuram transversam, quæ hepar in duos lobos dividit, cum vena portarum communicat; quæ ductum venosum a GLISSONIO cognominatum mittit, ut sanguis proinde a matre datus hujus canalis ope Venæ Cavæ infundatur e). Arteriæ vero umbilicales spirali ductu funem percurrentes ex arteriis iliacis internis seu hypogastricis, nonnunquam ex ipsa aorta originem trahunt, retro vesicæ latera versus circulum umbilicalem ascendunt, & cum vena nuptæ placentam petunt, in qua innumeros ramos divisæ venis matris; quibuscum communicationem alunt, sanguinem ex foetus corpusculo refluum reddunt, ut denuo in matre circulum suum obeat f). His vasis nonnulli Urachum accensent, qui ex fundo vesicæ ortus urinam foetus in al-

a) Longitudo varia est, sesqui alterum pedem plerumque funem obtinere docet LEVRET *Tr. des Accouch.* n. 304.

b) Nil constantis in funiculi crassitie deprehenditur; sèpissime pollicem fere æquat LEVRET *I. c.*

c) cf. HALLER in *not. ad præl. Boerb.* T. V. P. II. p. 247, sq. & *pr. lin. phys.* §. 895. BUCHHOLTZ *diff. de hepatomph.* p. 3, sq.

d) Ab hac gelatina distinctio funis in crassum f. pingue, ubi gelatina abundat; & sanguineum, quando nempe ita deficit, ut vasa transparent, in scholis obstetricantium orta est.

e) BOERH. *Præl.* T. V. P. II. p. 307, sq. HALLER *pr. lin. phys.* §. 895.

f) HALLER *I. c.* §. 896.

Iantoidem ferre dicitur. Quum vero Allantois in corpore humano nulla fide obiervata sit, & urachus ipse quoad maximam partem obstrictus & in funiculo umbilicali in filamenta dissolutus deprehendatur, vesicam tantum sustentaculi ad instar suspendere g) nec ad funis essentiam spectare videtur.

S. II.

Ex his, quæ modo diximus, funis elucescit utilitas atque dignitas. Ipse enim princeps organon est, quo mediante foetui nutrimentum adfertur & ipsa ejus vita conservatur. Lex nostræ machinæ juncta est, ut ad vitam & omnes actiones ejus conservandas cuncta sanguinis massa pulmones legat, antequam per reliquas corporis partes legitimum suum circulum obeat. Adeo arctis legibus hic humorum transitus per pulmones adstrictus est, ut experientia testetur, hoc ex quacunque causa sublato, vitam maxime pericitari citoque avolare animal. Est autem in tenello foetu iners organon pulmo, nec ad humores, qui per venam cavam in cor dextrum fuere delati, transmittendos aptum; aere enim atmosphärico, qui pulmonum lufus sustinet, nondum fruitur; hinc sapiens natura foetui, ut & nutritur & ejus salus conservetur, funem largitus est umbilicalem; per cuius venam tanta sanguinis in matre jamjam præparati vis affertur, quanta ad corpusculum foetus sustentandum sufficit & ne pulmones nimia sanguinis copia obruantur, qua re mox de vita ejus actum foret; foramen ovale & ductus arteriosus quidem vetant; ast quum per dictam venam nullo non tempore novus sanguis illi, qui jam in foetu obtinet, addatur, sistema tandem arteriosum ita repletum iri credendum est, ut ipsi cordis actioni resistat,

g) MAURICEAU mal. des femmes grosses L. II. c. 4.

qua suppressa, & ipsa vita filere cogitur. Hæc incommoda solertissime avertunt arteriæ umbilicales, sanguinem a nutritione residuum e foetu evehendo & matri reddendo, ut novam in eadem præparationem experiatur magisque elaboratus redeat.

§. III.

Perspectu nunc difficile non est, quanti intersit, ne commercium istud, quod sanguinem foetum inter & placentam funis adminiculo fovere vidimus, intercipiatur, quandiu foetus respirationis auxilia nondum adhibuit. Tristis experientia est, sæpius motum hunc sanguinis ex causa quacunque interceptum funestissimum comitari exitum; non solum foetui, sed & interdum ipsi matris vitæ periculum imminet. Evidenti sunt, qui contendunt, foetum per longum satis temporis spatium vitam vivere posse, etiamsi funiculus disruptus, abscissus aut compressus sit, qua ex ratione etiam funem juxta caput infantis prolapsum deligandum & abscondendum suadent, antequam in lucem prodierit foetus ^{b)}. At si auctoribus fides habenda est, non quadrans horæ tempus requiritur, quin foetus vitam cum morte commutet. Inter alias tam celerrime insequentis mortis causas non minimi momenti accusanda est compressio vasorum funis inter caput foetus & ossa pelvini constituentia, quippe haec partes præ reliquis ob duritiem suam in funem interclusum tantam pressionis vim exercere valent, ut cavitas vasorum ipsum componentium omnis elidatur. Minus periculi vasis funiculi metuendum est a pressione, quam molles

^{b)} V. HORN p. 221. ESCHENBACH p. 98. sic monet, quod tunc partus statim vel dolorum penetrantium ope, vel versione infantis maturetur, si infans vitam servare debet.

molles partes exercent, quæ ipsorum nullo non tempore liquido perfluentem quam refertissimorum indeque valde renitentium actioni facilius cedunt, nec sanguinem ab omni ex placenta in fœtum itu redituque arcere valent. Palam proinde est, pressionem nullam funem experiri, quamdiu membranæ, quæ fœtum includunt, non sunt ruptæ, nec, quibus ad labores femina cogitur, adsunt ad partus dolores. Integro enim ovo aquæ fœtum undique ambeunt, ad omnia latera æqualiter premunt, & funem ab externis injuriis satis defendunt. Nec funis premi valet in partu, quem naturalem & facilem adpellant, si quoque capite & dimidia fere thoracis parte ex-clavis pressionem quandam experiretur funis, magni facienda non est; nulla enim mala post se trahit, quoniam fœtus jam aërem hausit, qui pulmones dilatando sanguinis circulum fovere valet & funis ministerium superfluum reddit.

§. IV.

Pressioni contra obnoxius funiculus est, ubi partus præter naturam contingit; funem tunc a capite ultimum nascente omneque inferius pelvis ostium replente ita pressum iri, ut, commercio sanguinis matrem inter & nascentem sublato, matri omnis spes lœti partus dematur, nemo inficias ibit. Qua ex causa partus naturalis, licet tardior, ceteris paribus, ob minus periculi, cui funiculus umbilicalis expositus est, partui præternaturali, qui saepe funefum fortitur eventum, semper vero incerti exitus est, jure præfertur. In eodem compressionis periculo funis umbilicalis versatur in plerisque infantis perversi situs speciebus, quæ vetant, quo minus capite prævio nasci queat, sed ubi necessario pedibus ipse extrahendus est, & ubi partem præviā funis aut præcedit aut comitatur; quarum in numerum omnes & illos partus referimus.

B

ubi præter caput alia quæcunque pars foetus prima ori uterino offertur, nec non cunctos illos capitum prævii perversos situs, quos funis comitatur, quique per se versionem efflagitant; quibus in casibus partem contractionibus uteri in pelvis detrusam prolapsum funiculum plus minus comprime-re, prout ipsa pro varia sua mole atque figura pelvis angustias plus minus implet, palam est. Quid auxilii genus hic præstandum sit, obscurum non est. Quum enim per-versus situs vetat, quo minus capite prævio foetus nasci queat, inverso situ ipsius salutem conservari quivis intel-ligit. Funis tandem compressio metuenda est, ubi præ-cedit vel comitatur caput prævium vel recte locatum vel adeo parum obliquum, ut vel sponte naturæ, vel leviter artis auxilio majore vel minore temporis intervallo excuti possit, quem casum nunc exactius expendendum nobis sumimus.

S. V.

Funiculi umbilicalis procidentiae causas dispicientes ipsum funem ad id vitii genus admodum pronum deprehendimus: Lubricus enim est & valde volubilis, adeoque qua data porta e corpore erumpere nititur, si proinde parvitate peccat caput infantile aut obliquum tenet situm, aut pelvis ampla est i), mirum non est, quod cum foetus capite aut ante istud uterino orificio funis primus se offerat; quum enim ex sua natura ad exciden-dum dispositus est, & sub conditionibus modo dictis spatium ipsi conceditur caput inter foetus & pelvis pa-rietes elabendi, id ipsum spatium suo volumine replebit & accendentibus uterinis doloribus penetrantioribus e cor-pore materno erupinet. Eo facilius id contingere perspi-

i) Schützens Anweisung zur Hebammenk. §. 245. p. 190. THEBESIUS Hebamment. p. 361. MAURICEAU Tr. des malad. des femmes grosses. p. 330. ROEDERER El. art. obstetr. p. 314. §. 674. & p. 229. §. 467. n. 7.

cuum est, si funis excedente longitudine gaudet, prætereaque Amnii liquor abundat. Tunc ruptis membranis aquæ cum impetu effluentes funem ipsis innatantem protinus secum trahunt, sic prorepens, quum ejus egressui nil resistit, orificio uteri elabitur. Signa funiculum excidentem indicantia, quamdiu membranæ fœtum involventes integræ sunt habebimus, si subinde dolore ad partus finito per membranas laxas funis exploratur; tunc enim corpus quoddam longum, rotundum, & molle, duriuscum tamen & nodosum & arteriæ adinstar, quamdiu fœtus vivus est, pulsans, quod profundius quam caput, in pelvis cavum descendit, tactus auxilio percipi potest: ruptis membranis, funem prolapsum non tantum tangere, sed oculis quoque cernere licet.

§. VI.

Expositis signis, quæ funem ante vel juxta caput procidentem indigitant, ex re nunc est, ut & ejus effectus paulisper consideremus. In eo cuncti artis obstetriciæ magistri consentiunt, quod ille partus, ubi funis umbilicalis excidit, periculum fœtui potius quam matri minetur. Siquidem experientia evicit, quod, si naturæ viribus relinquitur, sèpissime infantis mortem comitem sibi jungat ob funis compressionem, quæ vix non semper ipsius procidentiam insequitur *k*). Quemcunque enim situm caput fœtus teneat, sive rectus fit sive obliquus, funis semper a capite progrediente comprimitur necesse est, ita ut sanguinis commercium; quod matrem inter & fœtum obtinet, penitus supprimatur, & fœtus intra breve temporis spatium interficiatur *l*)

B. 2

a) MAGRIEAU L. c. p. 329. dñm obs. 103. PELI L. c. p. 432. KOF. 11. b)
l) Intra quadrantem horæ infantem mori statuunt auctores cf. LEYKET

nisi dolores ad partus adsunt admodum vegeti qui partum celerrime absolvunt *m*). Interim non negamus, quod in compressionis momento diversitatem quandam ponant & partus diversum tempus & diversum capitum situs. Jure quis hic ex nobis querere posset, annon conditions dentur, sub quibus funis propendens saltet aliquamdiu a compressione immunis esse possit? Omnino per aliquot temporis spatium pressionem experiri funis non videtur, si propter obliquitatem *n*) in pelvis superiori apertura caput subsistit, si in recessu ossis sacri ad latus promotorii funis procidit, si caput infantis parvum est & pelvis admodum ampla. Sed haec conditions admodum rarae sunt, ideoque nunquam auctores esse mus, ut hic partus naturae viribus absolvendus relinquatur, quippe semper vitae periculum infans incurrit.

S. VII.

Quum in praecedentibus infantem ex funiculi umbilicalis compressione mori dictum sit, non alienum abs re fore ducimus, hujus mortis causas accuratius rimari. Auctores in diversas abeunt sententias; alii *o*) qui venant umbilicalem ob majorem suam praे arteriis cognomini-

not. ad aph. 222. MAUR. RAULIN l. c. p. 153. JOHNSON new system of midwif. p. 236. PUGH l. c. p. 110. BURTON l. c. p. 202. §. 94. HEBENSTREIT l. c. p. 695. sq. VON HORN die durch Frag und Antwort treul. anweisende Wehemutter p. 72.

o) MAURICEAU l. c. p. 328. RAULIN l. c. p. 153. DE LA MOTTE l. c. p. 394. MESNARD le guide des accoucheurs p. 256. PEU l. c. p. 432. ESCHENBACH Grundlage zum Unterricht einer Hebamme p. 95. PLENCK l. c. p. 342. JOHNSON p. 237.

o) DE LA MOTTE l. c. p. 400. 516. 519. RAULIN Instructions succinctes sur les accouchemens p. 153. OULD Tr. of midwif. p. 104.

o) VON HORN l. c. pag. 72. SCHÜTZ l. c. pag. 190. §. 246. OULD l. c. p. 104.

bus mollitatem atque tenuitatem premi sibi imaginantur, quum interea arteriarum ostia libere sanguinem effluere finant, sanguinis defectum mortis hujus causam accusant. Alii p) e contra foetum nondum respirationis lufu fruentem plethora suffocari contendunt; & hi veritati eo proprius accedere videntur, quo magis experientia & ratio eum eorum sententia convenientiunt. Quid enim color lividus recensnatorum ex fune compresso mortuorum indigat, nisi sanguinem ob impeditum humorum per funem umbilicalem iter in vasculis corporis infantilis coacer-vatum indeque ortas obstructiones? & quoniam fundamento innititur auxilium, quod infantibus, si funis vel per breve temporis spatium in pelvis angustiis compressionem passus est, debilibus natis praestamus, dum sanguinem ipsis ex funiculo umbilicali mittimus, nisi humorum in tenera cerebri substantia collectorum abundantiam agnoscas? Ut plura alia argumenta humorum abundantiam in foetu evincentia, quæ afferre possemus, nunc taceamus; modo prolatis contenti videbimus; qua ratione ex sanguinis copia vita infantis, cuius funis compressus est, antequam aërem haurire potuerit, extinguitur. Ut distinctam hujus rei habeas notitiam, sisti tibi in magnis vasis cordis duas columnas sanguineas, quæ inter se proportionem quandam observant & capacitati suorum vasorum convenient; altera, quæ sistema venarum cavarum occupat, continua quasi est & auricularum ventriculorumque cordis, foraminis ovalis, ductus arteriosi, ut & vasorum pulmonalium ope communicat cum ea columna, quam sistema arteriosum ex aorta proveniens amplectitur. Sic sine negotio perspicies, quod, fune compresso,

B 3

p) HERTZ diff. de funic. umbil. vel intra uterum dissecando quam præsid. cl. ADOLPH. defendit Helmst. 1767. NICOLETTI Dissertation sur la cause qui rend la respiration si nécessaire aux enfans nouveaux-nez.

duæ hæ columnæ sanguinis, quæ sese quam proxime attingunt & a ductu venoso ad arterias usque umbilicales continuo filo procedunt, humores contentos, nisi respirationis auxilio infans utatur, ulterius promovere nequeant. Per compressionem enim obstructæ viæ eorum solitæ sunt, exinde & suis vasis molestias creant, & iis, quæ ingredi & supra naturalem suam diametrum distendere coguntur. Quæ mala proinde exsurgant, latere neminem potest, quoniam humores, quorum ratio in corpore infantili ad solida jamjam per se major est ac in adultis, ea quantitate, quam per arterias umbilicales a pulmonibus avertere natura voluit, aucti spatiū suo volumini conveniens non inveniant, nisi vasorum naturalem diametrum distentione augeant, solida a sua in humores actione deflectuntur, obstructions undiquaque creantur, humorum circulus suffocatur & tenera præcipue cerebralis substantia affligitur, moxque fœtui vita eripitur.

§. VIII.

Multi in arte obstetricia clari viri vitam infants a frigore aëris funem diu exclusum corripiente sufflaminari suspiciati sunt ^{q).} Metuant nempe sibi, ne sanguis a frido aëre coaguletur, ipsiusque motus sistatur. Hoc malum ut avertant, funi prolapsu suum calorem & sanguinis motum conservare nituntur, ipsum in vaginam reducentes & linea ex vino tepido expressa imponentes ^{r).} Sed vanum hunc metum esse experientia evicit. Si enim fastos artis obstetriciæ evolvimus, fatis copiosa exempla occurront, ubi funis per plures horas intra

^{q)} DEVENTER l. c. p. 163. HEBENSTREIT l. c. p. 695. §. 10. EXTON new System of midwif. p. 73.

^{r)} DE LA MARCHE Instr. aux sages femmes p. 80. ESCHENBACH Gründl. Lage zum Unterricht einer Hebamme, p. 96.

puerperæ femora propendens s) nec linteis calidis fots
& nativum calorem retinuit & valide micuit, tandemque
foetus vigens & vivus exclusus fuit. Justum itaque ratio-
cinium eorum est, qui funem refrigerium ab aëre am-
beunte pati negant t). Quamdiu enim sanguini per
funem liber meatus est, sanguis in funem agit & hic san-
guinis actionem sua reactione compensat, ex quo motu
reciproco calorem gigni quivis vel leviter physiologicis
principiis imbutus non ignorat. Inutilis proinde dili-
gentia eorum est, qui frigido funi fomentis calidis pri-
stimum calorem conciliare & sanguinem in motum ciere
student u); quum hoc idem frigus signum foetus jamjam
defuncti sit.

§. IX.

Auxilia nascendo tenello præstanta differunt, prouti
ipsius conditio diversa est, aliam enim opem ferimus
demortuo foetui, aliam vita gaudenti. Si jam vita de-
functus est, cuius rei signum ex fune gracili, flaccido,
frigido & per notabile tempus non amplius micante x)
habemus, sique tenelli caput eum situm tenet, ut aut
exæcte centro exitus respondeat aut tam parum oblique
orificio uterino sece offerat, ut naturæ vires hanc obli-
quitatem corrigere possint, aut levi artis auxilio in re-
ctum situm redigi queat, si præterea parturiens tantis
adhuc viribus pollet, ut doloribus ad partum moven-
dum satis vegetis infans excludi possit, secure partum

s) DE LA MOTTE *L. c.* obf. 226 - 27 - 28 - 85. MAURICEAU *L. c.* p. 329.

Id. obf. 464.

t) DE LA MOTTE *L. c.* p. 400. 521. THEBESIUS *L. c.* p. 366.

u) DE LA MOTTE *L. c.* p. 402. 517.

x) ROEDERER *El. art. obfr.* §. 675. p. 314. LEVRET p. 461, not. ad
aphorism, 223. MAUR. DE LA MARCHE *L. c.* p. 78.

naturæ viribus committimus ^{y)}; nec nos ab hac curatio-
nis methodo retineat funis prolapsus, qui, testibus PLEN-
CKIO ^{z)} aliisque partum mole sua retardare nequit. Quodsi
vero matri aliunde vita periculum iniminet, si vires de-
ficere incipiunt, convulsionibus ipsa corripitur, hæ-
morrhagia urget, aliæque similes circumstantiæ partum ^{a)}
maturari jubent; consultius est, cum cl. DE LA MOTTE
versionem infantis instituere aut, si necesse est, forcipis
auxilium admovere. Quodsi vero infans vitam adhuc agit,
id quod funiculi umbilicalis pulsatio reliquusque ipsius
habitus indigitat, in auxilio ferendo diversi temporis
partus & progressus capitis ratio habenda est. Aut enim
in superiori pelvis regione adhuc hæret caput, aut pel-
vis cavum jam occupat. In priori casu contingere potest,
quod membranæ fœtum involventes integritatem adhuc-
dum suam possideant, aut jamjam ruptæ sint. Si vela-
menta integra sunt, ut mali, qui ex fune prolapsu sur-
gere possunt, effectus præscindantur, unanimis Docto-
rum consensu membranas fœtum involventes eo tem-
pore, quo dolor ad partum urget, discerpi jubet. Si membra-
nanæ jamjam rupturas egerunt & aquis effluxis
non statim in pelvis cavum deprimitur caput, quod fere
fieri solet, si ob suam magnitudinem parum progressus
facere potest, aut si oblique locatum alicubi ossibus pel-
vis incumbit, ut a dolorum vi in pelvis angustias deprimi
recuset, varias curandi methodos, quas nunc perpen-
dere volupe est, auctores proponunt.

§. X.

Longe plurimi auctores funem elapsum retro caput
redu-

^{y)} MAURICEAU l. c. obl. 47. DE LA MOTTE l. c. obl. 222. DE LA MAES-
CHE l. c. JOHNSON l. c. p. 238.

^{z)} l. c. p. 341.

^{a)} GIFFARD l. c. fasc. 137. BOESSEL p. 174.

reducendum retinendumque esse tamdiu, donec delapsō in pelvis cavum capite compressionis periculum sublatum sit, præcipiunt b) quam operationem ita instituunt. Parturientem lecto eo in situ imponunt, ut pectore humili collocato, inferiori Trunci parte magis elevata, pondus infantis magis versus fundum quam orificium uteri gravitet c). Deinde cruribus ægrotæ divaricatis manū operantem pinguedine probe illitam vaginæ inducunt, funem umbilicalem indice ac digito medio apprehendentes, qua ex parte excidit, reducunt retro caput infantis; hanc repositionem funis toties quoties elabitur, repertunt, donec caput in pelvī detrusum funem de novo excidere prohibet d) impeditaque; alii semel repositū funem digitis suis tamdiu retinent, usque dum ope naturæ caput in pelvis cavum ingressum novum prolapsum vētāt e). Sunt, qui huic operationi ita inhārent, ut summa patientia per sesqui alteram, quin & plures horas funem retineant f). Alii, qui funem per longum temporis spatium retinere recusant, spatium, quod caput obliquum vacuum relinquit & per quod funis fuit delapsus gossypīis, lana aut simili quadam materie obstruunt g) ne fu-

C

- b) PLENCK *l. c.* p. 341. sq. DE LA MARCHE *l. c.* p. 79. OULD *l. c.* p. 104. LE BOURSIER DU COUDRAY *Abrégé de l'art des accouchemens* p. 150. sq. COUNSELL *art of midw.* p. 95. CHAPMANN *l. c.* p. 138. AMAND *nouv. obs. sur la prat. des accouch.* obs. 47. 71. p. 230. obs. 110. ESCHENBACH *l. c.* p. 95. RAULIN *l. c.* p. 154. sq. PUZOS *l. c.* p. 174. e) SCHÜTZ *l. c.* p. 191. §. 247. VON HORN *l. c.* p. 73. ESCHENBACH *l. c.* p. 97.
- d) NIHELL *Tr. sur les accouch.* p. 236. EXTON *l. c.* p. 73.
- e) ROEDERER *El. art. obstetr.* §. 678. p. 315. PUZOS *l. c.* p. 174. BURTON *l. c.* p. 302. §. 94. MAURICEAU *l. c.* p. 33. obs. 153. 250. PLENCK *l. c.* p. 343.
- f) DE LA MARCHE *l. c.* p. 79. AMAND *l. c.* obs. 28. p. 133. obs. 47 p. 177. sq.
- g) MAURICEAU *l. c.* p. 33. PLENCK *l. c.* p. 343. not. **). SIEGEMUND *l. c.* p. 142. SOLINGEN *Handgriff der Wundärzney* p. 676.

nis nixu redeunte relabi poslit. NIHILLIÆ *b)* translator gallicus funis elapsi peculiarem reponendi methodum, a nobis non rite intellectum laudat, qua ipsius relapsus cohiberi contendit. Exempla, quæ passim apud auctores prostant, ubi optimo cum successu funis repositus fuit, & ipsa ratio hanc operationem non plane rejiciendam esse nobis persuadent. Si statim ab initio partus, postquam membranæ ruptæ sunt, & caput infantis in pelvim delabi nititur, funem reponere molimur; si caput non nimis *i)* magnum, recte locatum *k)*, vel adeo parum obliquum est, ut *l)* mox dolorum vi deprimi possit, si parva tantum funis portio prolapsa est, dubium non est, quin successu funiculi *m)* repositio non destituantur. Facili enim negotio his sub conditionibus ostium, per quod delapsus fuit exacte obturatur. Quod si vero caput majorem obliquitatem cum exitus ostio se servat, quam ut sperare possimus, id sola vi dolorum deprimi, si longa funis portio fuit protrafa, frustranea erit omnis opera, nec funis repositus in tali situ remanet, sed quibus vis redeuntibus nixibus ob lubricitatem in pristinum locum revertit, quamdiu via, per quam egreditur, a capite non tota occupatur; nec tunc quoque juvabit, spatium goffypio aut alia quapiam re obturare, quia nunquam tam accurate ostium claudi potest, quominus per dolores ad partum funis iterum expellatur.

§. XI.

Perispaciiores alii, quum intelligent, frustraneam

b) *Tr. sur les accouch.* p. 236 cf. *Supplém.* p. 471.

i) SMELLI *Tr. of midw.* T. III. p. 219.

k) THEMEL *Hebamment.* p. 201. §. 53. Capite magno recte locato vix procedit funis, si procederet, vix possibilis esset redactio.

l) FRIED *Aufangegründe der Geburtshilfe* §. 210. ROEDERER *I. c.* §. 678. P. 345. PLENCK *I. c.* p. 343. MAURICEAU *Tr. des mal. des femmes obf.* 459. 464.

funis delapsi repositionem esse, nisi frequentioris elapsus causa tollatur, funem quidem ea, qua diximus, ratione reponunt, sed simul obliquitatem capitum, qua, ut sponte sua axin pelvis petere recusat, corrigere volunt. Agmen dicit Cl. FRIED^{m)}, qui unius manus duobus digitis funem retro caput reconditum retinet, ne in pristinum locum revertat, antequam caput pelvis ostium penitus obturaverit; veste vero ROONHUYSIⁿ, quem caput inter infantis & illud os, cui incumbit insinuare præcipit, in quovis veniente dolore caput in mediani pelvis cavitatem dirigere molitur. Hæc medendi ratio, si non plane impossibilis est, difficillima tamen erit atque periculosa. Quum præscripta ratione operator duabus manibus operari tenetur, altera manu funem tenebit, & contra leges artis obstetriciæ vectem absque alterius manus comite intra partes genitales in uteri cavum introducturus, infantili capiti admovebit. Quod si vero prius, quam funem reponendum digitis apprehenderit, vectem conducente altera manu caput inter & uteri parietes intromittit, fieri potest, ut interea caput ex sede sua dimotum funem in opposito latere elapsum ita comprimat, ut ipsius reposicio plane impossibilis sit & infans vitam cum morte commutare cogatur. Eadem si non majora incommoda operanti methodum illorum premunt, qui quando diutius pelvis ossibus institerit caput, ipsum digitorum manus apicibus, doloribus frequentius ingruentibus, a pubis ossibus deorsum intestinum rectum in os coccygis versus sensim depellunt, ut sic, quantum fieri possit ad hoc intestinum & os coccygis descendat, quo tempore capite repulso, altera manu funem repellunt ^{n).}

§. XII.

Iterum alii funem reponunt ipsumque repositum di-

^{m)} Anfangsgründe der Geburtshilfe §. 251.

ⁿ⁾ LE BAS & FLAMBO Theses anat. & chirurg. Pal. 1756. p. 3.

gitis suis retinent, ast quam primum frustranea esse sua reponendi conamina atque inutilia perspiciant & funis repositus in loco suo naturali non usque ad partum penitus absolutum retineri potest sine mora antequam caput ossibus pelvis ulterius impactum funiculi pulsationem penitus tollat, extractionem foetus per pedes instituunt. Huic sententiae in primis fovent COUNSELL *o*, EXTON *p*, GIFFARD, SMELLIE *q*, HEBENSTREIT *r*, PLENCK *s*, SCHÄTZ *t*, SOLINGEN *u*, AMAND *x*, DIONISY, MAURIÇEAU *z*, PEU *a*, RAULIN *b* mature versionem instituendam præcipiunt, ne, si tandem in ipsa sola infantis falus quærenda est, difficilius succedat. Præterea metuendum est, ne funis, si reponi nequit, aut repositus semper de novo prolabitur, tandem inter caput progrediens & pelvis latera interceptus comprimatur. Experientia autem evicit, quod funiculus umbilicalis fortiter compressus foeti præ ejus extractione per pedes certius atque citius animam adimit. Hæc potissima horum Virtorum argumenta sunt, quibus ducuntur, ne funis repositioni frustra suscepitæ diutius inhærent, sed repositioni versionem præferant, quædam alia adhuc in medium proferunt, quæ vero brevitatis causa & minoris monumenti omittimus.

§. XIII.

Vitæ, quod infans incurrit, periculum & incertus partus eventus alios nec minimi subsellii Doctores induxit, ut rejicetis omnibus funis reponendi retinendique moliminiibus infantem statim vertant. Cum famigeratissimis recentissimisque artis obstetriciæ magistris JOHNSON *c*, MANNINGHAM *d*, PUGH *e*, SMELLIE *f*, BOESSEL *g*, ERHART *h*, ESCHENBACH *i*, RIECKE *k*, KÆDERER *l*, SAXTORPH *m*,

- o*) p. 26. *p*) Case 40. 54. p. 73. *q*) T. III. Coll. 34. num. 2. Case 9. p. 218.
- r*) §. 10. p. 696. *s*) p. 341. *t*) p. 191. *u*) p. 248. *u*) p. 677.
- x*) obs. 38. p. 155. *y*) p. 295. *z*) l. c. p. 330. *z*) obs. 121. *a*) p. 431.
- b*) p. 154. *q*) *c*) JOHNSON *l*. c. p. 237. *q*) *d*) Ej. Compend. art. obstetr. p. 19 - 29. *e*) l. c. p. 110. *f*) l. c. T. I. p. 351. *g*) l. c. p. 74.
- h*) l. c. p. 203. *i*) *j*) l. c. p. 162. *k*) l. c. p. 163. *l*) El. art. obstr. §. 678. p. 315. *m*) p. 118. Id. in Coll. Soc. med.

THEBESIUS ⁿ⁾, THEMEL ^{o)}, LE BOURSIER DU COUDRAY ^{p)},
 LEVRET ^{q)}, MAURIQUEAU ^{r)}, MESNARD ^{s)}, DE LA MOTTE ^{t)} hanc medendi rationem omnibus reliquis, quæ suis
 quidem Elogiis non defraudandæ sunt, præferimus. Gravia
 fane sunt argumenta, quæ egregios viros moverunt nosque
 movent ad pedes infantis querendos, quoties magna funis
 pars fuit prolapsa aut si parva ipsius portio procidit, cuius,
 etiamsi reponeretur, relapsus capitum progressu non statim
 arceri potest. Commoda, quibus præ reliquis hactenus re-
 censitis medendi rationibus infantis versio statim post funem
 prolapsum facta gaudet, ipsis Cl. DE LA MOTTE ^{u)} verbis
 describere liceat: *L'on s'assure par ce moyen de la fin de son ouvrage & en faisant autrement, on ne risque pas moins que la vie de l'enfant, & pour un, qui peut s'être sauvé par un bonheur extraordinaire en suivant cette méthode, il en périra dix, & en finissant l'accouchement aussitôt, que le cordon fort avec les eaux, de dix il n'en périra pas un. Il ne se trouve plus rien de difficile pour l'accouchement, quand il a tant fait que de repousser le cordon jusqu'au derrière de la tête comme M. Marque l'avoir fait & dit, qu'il le faut faire; l'obstacle est vaincu, il n'a qu'à aller prendre les pieds & finir l'accouchement, au lieu d'avoir le chagrin de voir ressortir sans cesse ce cordon à la première douleur de la malade, comme il arrive toujours quelque chose que l'on fasse pour l'empêcher.*
 Hæc a Cl. DE LA MOTTE prolatæ argumenta confirmat THE-
 BESIUS ^{x)} dicens: „Und wenn ich im Stande bin mit der Hand
 hinter des Kindes Kopf die Nabelschnur zu bringen, so habe ich
 beynahe das schwerste der Wendung überwunden; warum soll
 ich erst warten, ob sie wieder hervorkommen werde, und suche
 nicht gleich mit der darinnen befindlichen Hand den Kopf zurück-
 zuschieben, des Kindes Füße zu ergreifen, und die Wendung be-
 zeiten zu machen, als wodurch ich das Kind viel eher beym Le-

ⁿ⁾ l. c. p. 201. §. 53. sq. ^{o)} l. c. p. 151. ^{p)} not. ad
 aph. Maur. 222. p. 461. ^{q)} l. c. obs. 62. 80. sq. ^{r)} l. c. p. 257. ^{t)} DE
 LA MOTTE l. c. p. 398. sq. ^{u)} l. c. p. 399. cf. & p. 515. ^{x)} l. c. p. 363. sq.

ben erhalte, und die Geburt geschwinder endige. Die Erfahrung lehret auch, daß wenn man nach zurückgebrachter Nabelschnur den Kopf eintreten und das Kind so kommen läßt, die Geburt langsamer von statten geht, und das Kind dennoch tott oder sehr schwach zur Welt kommt, und nicht lange lebt, welches alles ich durch die beyzeiten gemachte Wendung abwenden kann.

§. XIV.

Perpendenda nunc veniunt ea auxilia, quibus artis magistri utuntur, quando caput jam jam ita profunde in pelvem descendit, ut totam ejus capacitatem repleat. Si hoc in casu doloros vegeti sunt & cito sese excipiunt, irritum erit omne auxilium atque inutile y) obstetricans tunc cogitur partum naturae relinquere, quæ ipsum frequentur brevissimo temporis spatio felici successu finit, quod si vero lente caput procedit arduum sane periculisque plenum opus aggrediuntur, qui funem reponere tentant. Incaustum enim laborant z) capite prohibente, quo minus in uteri cavum funis reduci queat. Cautius alii in opere versari sibi videntur, qui, quum perspiciant, funem ea, qua prolapsus est, parte reponi non posse, ipsam ad infantilis capitatis latus juxta tempora dimovent, ut istius compressionem faltem diminuant a). Sed an hæc operatio institui possit valde dubito, & si funis tunc temporis dimoveri posset, a pressionis tamen periculo immunitis esse nequit. Alii tanta temeritate utuntur, ut capite, quod jamjam profunde satis in pelvem delapsum est, retro-pulso pedes querere audent b) animo non revolventes, quantæ difficultates hanc medendi methodum comitantur, & quæ pericula vel superatis cunctis difficultatibus matri inferantur. Uterus supra infantem, aquis penitus effluxis, constrictus & ipsum caput omne pelvis spatium replens c), obstant, quo-

y) ROEDERER l.c. §. 676. p. 314.

z) DE LA MOTTE l.c. p. 399. GIFFARD l.c. Capit 137.

a) BUXTON l.c. p. 202. §. 94. OULD l.c. p. 104. RIECKE l.c. p. 164. ROEDERER l.c. p. 315. §. 679. DEVENTER l.c. p. 166. RIECKE p. 163.

b) DE LA MOTTE l.c. obl. 225. c) BOESSEL l.c. p. 174. PUZOS l.c. p. 175.

minus in uteri cavum manus intromitti & infans pedibus quæstis extrahi possit: Si quis pertinacius suis conatibus infisteret uterum disrumperet *d)*, quoniam uterus tantum distendi debet, quantum requiritur spatium ad caput repulsum recipiendum; quæ vero vis ipsi inde inferatur, exinde colligere licet, quod ipsa pelvis cavitas ostii utriusque diametros superet, & infantis caput juxta spatium quod occupat, fese fungat, ut itaque foetus verti queat, necesse est, ut caput infantis ultra pelvis ostium superius expellatur, quare duabus vicibus capitum forma juxta dictorum ostiorum diametros immutanda foret. Nec otiosam illorum negligentiam laudare possumus, qui infantis pèdes ob caput suum nimis profunde delapsum quæri non posse perspicientes, partum naturæ viribus relinquunt, de nascendi vita conservanda minus solliciti *e)*. Praeclarum omnino atque prudentissimum conatu ipsorum est, qui, ut partum quam celerrime absolvant, forcipis auxilium invocant *f)*. Egregius hoc in casu usus forcipis est, nec desunt exempla, quæ ipsum in fœtibus incubatis extrahendis optimum successum habuisse confirmant, unde elucet, quod & nostro in casu ad ipsum configere licet.

§. XV.

Reliquum adhuc est, ut dispiciamus, qua ratione infans, qui fere semper post tam difficultem ipsique periculofum partum debilis mortuoque similis nascitur, refocillari debeat. Varia adhibere solent ad vitam recensnatæ restaurandam remedia. Inter alios Cl. Pœu *g)* suadet, ne statim solvatur placenta, nec subito funis resecetur, potius ducens, ut & funis & tenellus per aliquot temporis spatium intra puerperæ

d) SAXTORPH de div. part. p. 122. cf. & ejus Absch. der Verbesserung der Heb. C. I. T. 2. p. 28.

e) MAURICEAU l. c. obf. 464. dern. obf. 103. MESNARD l. c. p. 257. PUZOS l. c. BOESSEL l. c. THEBESIUS l. c. p. 365.

f) KOEDERER l. c. §. 676. p. 314. SCHÜTZ l. c. p. 19. §. 249. ERHART l. c. p. 203. LEVRET ad aph. 222. MAUL. BOESSEL l. c. PLENCK p. 34. GIFFARD Casse 55. SMELLIE l. c. T. I. p. 351.

g) l. c. p. 433. 181. sq.

Femora cum placenta continuus relictus pannis calidis foveantur adhibitisque variis irritantibus primi Vagitus exspectentur, quo sanguis maternus per venam umbilicalem in tenuerum infantis corpusculum allectus vitales humorum lusus rursus instauret. Opinionis huic jure praecipue artis obstetriciae Doctores contradicunt, inter quos Cl. DE LA MOTTE ^{b)}, RÖDERER ^{c)}, HEBENSTREIT ^{d)} nominasse sufficit. Egregii hi Viri pro refocillando foetu aliquid auxiliū placentam in utero reliquam & cum fune perpetuo connexam ferre posse negant. Nec efficacia fore reliqua admota irritamenta sperandum est, nisi prius a sanguinis abundantia thorax & cerebrum liberentur. In suffocati enim thorace & cerebro sanguinis colligi suadet mortis causa proxima, de qua in superioribus sermonem fecimus & observatio cl. FRIEDII, qui Ao. 1772 mortuum ex funiculo prolapsō fœtum cultro anatomico subjecit & non solum vasa cerebri sed & cor & pulmonalia vasa quam repletissima invenit. Potius itaque auxilium erit probebili infante refocillando dictorum organorum vasa a sanguine deplere & cor ad systoles vitales exercendas invitare, quod efficacissime fit, sanguini ex fune umbilicali percisso, usque illico deligato effluxum concedendo. Oportet autem in mensura sanguinis dimittendi servari modos, ne nimium debilitetur infans. Ut si unciam disfluere patiaris, nil feceris, in quo reprehendi possis ^{e)}.

^{b)} L. c. p. 397.

^{c)} Opusculum medic. T. I. P. II. p. 307, El. art. obstetr. §. 407. p. 193.

^{d)} L. c. p. 704. §. 15.

^{e)} Id. L. c.





VD18


ULB Halle

007 470 061

3



FarbKarte #13



Q. D. B. V.
ATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
DE
ARTHUR
ERNATURALI AC DIFFICILI
OB
SIDENTIAM FUNICULI
UMBILICALIS
JUXTA CAPUT
QUAM
SPIRANTE DIVINI NUMINIS GRATIA
EX INDULTU
OSÆ FACULTATIS MEDICÆ
PRO LICENTIA
IMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ATQUE PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME IMPETRANDI
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICET
CUS PHILIPPUS RUHLAND
ULMA - SUEVUS
DIEM XXIX. APRILIS A. MDCCCLXXV.
H. L. Q. G.

torati, Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typogr.